

solenne inventarium producentem à jurisjurandi præstati-  
one liberat, quod tamen in puncto juris secus se habet, ubi  
exhibito licet legitimo inventario, nihilominus postulanti-  
bus Creditoribus & legatariis, à sacramenti religione se li-  
berare nequit, per expressa verba *d. l. fin. §. 10. C. de jur. de-  
lib.* qui §. de inventario minus solenni intelligi nequit. Ac-  
cedit, quod, etiamsi omnes solennitates ad amissim in in-  
ventario observatas deprehendamus, bona tamen hæredi-  
taria facilè supprimi potuerint *Dn. Brunnem. ad. d. §. 10. & ita  
Collegia aliquot Juridica respondisse refert Raucbb. p. 1.  
qv. 29. n. 6.*

§. 8. Hæc autem uti juri Communi consentanea,  
ita in foro non attenduntur, ut *comm. Dd.* testantur propter  
rationes adductas à *Raucbb. d. qv. 29. n. 8. & seqq. & Dn.  
Carpz. d. d. 8.* hæc formulâ in judiciis frequentatâ, daß Be-  
klaqter ein gebührliches Inventarium vorzulegen/oder  
in Ermangelung dessen/ vermittels eines Eides die  
Erbstücke anzuzeigen schuldig sey. *Scheplitz. ad consv.  
Brand. p. 3. t. 2. §. 2. n. 9. Pruckmann. consil. 47. n. 132. cum 4. seq.  
Hillig. in Donell. lib. 7. c. 3. lit. N. Cothman. consil. 68. n. 114. vol.  
2.* Imò peccare judicem, juramentum imponendo, cum  
adeft solenne inventarium, nullâ fraude defectuve appa-  
rente, expresse meminit *Vir non sine bonore debito dicendus  
mibi Magnif. Dn. Mevius in Addit. ad d. n. 59. art. 27. p. 2. t. 2.  
J. L.*

§. 9. Cæterùm quævis suspicio fraudis hæredem  
præter inventarium solenne, ad juratam quoque obligat  
specificationem, ita ut si vel præsumptione saltem probet,  
aliquid doli ab hærede, vel in confectioe inventarii, vel  
extra id esse commissum, non immeritò hæres, quam exhi-  
buit bonorum hæreditariorum designationem sacramento  
corroborare necesse habeat *arg. l. ult. §. sicubi C. d. bis qui ad  
B Eccles.*